

DISSERTATIO

# DE FEBRE PUERPERARUM.



To Doctor Fenlay
with compliments
from the Author

# DISSERTATIO MEDICA
# INAUGURALIS
# DE FEBRE
# PUERPERARUM

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

*Auctoritate Dignissimi Vice-Cancellarii,*

ARCHIBALDI DAVIDSON, S.S.T.P.P.

ET COLLEGII GLASG. PRAEFECTI,

NEC NON

*Amplissimi* SENATUS ACADEMICI *Consensu;*

*Et Nobilissimae* FACULTATIS MEDICAE *Decreto;*

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;

IN COMITIIS UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

Eruditorum examini subjicit

DANIEL MOSS, A.M.

ANGLUS.

SOC. MED. LOND.

SOC. EXTRA.

NEC NON

SOC. PHYS. EDIN.

SOC. HONOR.

Ad diem IX. Martii hora meridiana, loco solito.

GLASGUAE:

IN AEDIBUS ACADEMICIS,

EXCUDEBAT ANDREAS FOULIS.

M.DCC.LXXXVII.

VIRIS ADMODUM REVERENDIS

THOMAE BLACKBURNE

THELWALLIAE.

ET

EDVARDO LLOYD

RIGODUNI.

MORUM URBANITATE SCIENTIA ET HUMANITATE

ORNATISSIMIS.

NEC NON,

VIRO EGREGIO

THOMAE HUGHES,

LIVERPOLIAE,

QUI PER COMPLURES ANNOS MEIS STUDIIS FOVEBAT:

DENIQUE,

DILECTISSIMO AMICO MEO

GULIELMO HOUGHTON

UPTONIAE,

ARTIS CHIRURGICAE PERITISSIMO

HAS MEDICAE ARTIS PRIMITIAS OB PLURIMA IN SE COLLATA BENEFICIA,

*SACRAS*

*VOLUIT*

AUCTOR.

# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

## DE FEBRE

# PUERPERARUM.

INTER varios morbos, quibus obnoxiae ſunt mulieres, nullus fere gravior, quique magis medici conſiderationem et curam merere videtur, quam febris quae puerperis incidit. Itaque cum per complures ipſe annos in ferendo puerperis opem verſatus fuerim, hanc rem in hacce diſſertatione inaugurali accuratius tractandam duxi. In qua non tam noſtri propoſiti fuſe de curandi ratione agere, quam quo potiſſimum modo, puerperis ab hoc malo caveatur, perquirere. A morbis praecavere, ut multo tutius, ſic

et multo fere facilius eſt, quam laborantibus opem ferre: omnis igitur conatus qui ad hoc efficiendum ſpectat laudandus eſt: cum enim inter omnes jam conveniat, mulieres inter pariendum contagio et febri maxime eſſe obnoxias, totis igitur viribus nitendum eſt, ut quo plus imminet periculi, eo major ad ingruentem morbum propellendum cura adhibeatur.

Quanquam a morbis ſemper praecavere medicorum vel peritiſſimo non datur, medicae tamen artis proprium eſt conari, ut quae neceſſario oriuntur mala quam leviſſima reddantur, exituſque, quantum fieri poteſt, laeti.

Mihi itaque de hac puerperarum febre, nimium periculoſa lethiferaque, differenti potiſſimum quaerendum eſt,

1*mo*. De hiſtoria cauſaque morbi.

2*do*. De ratione curandi laudatiſſima.

3*tio*. De ratione praecavendi, quam et ΠΡΟΦΥΛΑΚΤΙΚΗΝ vocant.

## SECTIO PRIMA.

## DE HISTORIA CAUSAQUE MORBI.

QUO citius haec febris aegram invadit, eo periculosiorem esse, pulsumque celerem diutius post partum propensionem ad febrem significare, multi jam notavêre. Die plerumque secundo post partum cum horrore tremulo impetum facit hicce morbus, interdum citius, interdum etiam die duodecimo, postea vero raro aut nunquam. Impetus ejus plerumque repentinus, cum cephalalgia, anxietate, inquietudine et vomitione biliosa, quae omnia languor excipit universalis. Haec sunt, quae primum hujus acutissimae et periculosissimae febris adventum fere semper comitantur.

Horroris vis et diuturnitas in diversis diversae sunt, quanquam diuturnae interdum et violentae; interdum tremulum per cutem horro-

rem tantummodo ſentit aegra, qui decedit incertis intervallis reverſurus. Paroxyſmus diu ſi remanſerit, anxietatem, reſpirationem difficilem, et ſuſpirationem profundam magna cum oppreſſione praecordiorum ſecum afferet.

Febris ſi ab initio levior ſit, nunc horror, nunc calor per vices redeunt; praecipue ſi pulſus celer et debilis: febris quidem mitior, lingua quoque in ſtatu fere naturali, nec ſitis urget; raro tamen felicior eventus, quam quibus gravior fuerit febris. Quae ante partum, vel etiam inter pariendum, valetudine laborarunt, quae et natura irirtabiles et hyſtericae ſunt, plerumque ſic affectae.

Ab initio febris raro urget ſitis, ſub finem vero augeſcit cum aſperitate, et colore ad radicem linguae ſubnigricante.

Humiditas univerſalis corporis leniſque calor aliquando ſaluberrima ſunt, et ſitim et cephalalgiam diminuunt. Sudores vero ex quibuſdam tantum partibus corporis erumpentes ſymptoma-

tici ſunt, debilitatemque et anxietatem febrilem notant.

Aegrotae vires vitales multum comminuit morbi primus impetus, et uſque ad finem morbi debilitas multa ſubeſt.

Horror ſi obtinet, pulſus fit plenus et celer; clarus tamen, raro durus, junioribus et plethoricis exceptis.

Cephalalgiam plerumque ſequitur nauſea: ſed inter caput et ſtomachum ΣΥΜΠΑΘΕΙΑ tanta eſt, ut quae pars prior affecta, vix indicari poſſit.

Diarrhoea praeſertim ſub finem morbi ſemper comitatur, quae ſi pulſus ſit lenis, bonum: ſin contra, malum.

Ab initio morbi faeces bilioſae ſunt, ſub finem vero, invitâ etiam aegrotâ, redduntur, nigraeque ſunt et foetidae.

Urinam reddere difficile interdum, ex hoc tamen judicandum nihil, quippe cum ex partu difficili ſaepius oriundum.

Secretio lactis ſaepiſſime impeditur, plerumque tamen doloris expertes ſunt mammae.

Obſtruuntur fere lochia, diminuuntur ſemper.

Dolores acutiſſimi ab initio uſque ad finem morbi humerum nonnunquam, thoracem et ſtomachum et regionem uteri, urgente interim tuſſi, infeſtant.

Sub cute aliquando tumores parvi rubicundi et dolentes ſparſim in corpore apparent.

Tertio aut quarto die tumeſcit venter, et, manente etiam diarrhoeâ, ad finem uſque morbi intumeſcet, quod mortem portendit.

Tumefactio ventris non ex aëre in inteſtinis, ſed ex aëre in cavitate abdominis oritur.

Quarto fere die morbi oculis intentis aſpicit aegra, genae coccineo colore ſuffunduntur, livida fiunt labra, et patulae nares: quae mortis adventum indicant.

Si dolor circa regionem uteri ſubito evaneſcit, internam gangraenam mortemque denunciat.

Benignior ſomnus raro conciliatur.

Criſis ſi unquam, inter quintum et undecimum obtinet diem; febris vero aegram adeo a primo ejus impetu violenter occupavit, vireſque

vitales adeo profligavit, ut felicem hunc eventum ferre non poffit.

Abdomine poft mortem aperto, putridiffimus ille aër, unde et tumefactum abdomen, fe proripit, figna manifefta inflammationis ubicunque apparent, tota vel pars maxima omenti fere femper confumitur, et in pus convertitur: Inteftina inflammantur plerumque fibi et peritonaeo adhaerentia; fanus plerumque uterus, quamvis et interdum ad fundum et orificium inflammatur: ovaria quoque aliquando indurantur: falvum fere femper jecur, peritonaei tamen tunica inflammatione nonnunquam confumitur, et quafi coagulata invenitur; vefica fellis bile femper turgida: inflammatur interdum mediaftinum, et pleurae frequenter adhaerent pulmones; faetidum lacteumque fluidum duarum triumve librarum pondo, in abdominis cavitate confpicitur; et pericardio plus fluidi, quam fert natura, fubeft.

Hifce jam expofitis, quae hujus febris caufa fit, forte jam liquet; oriundam nempe vel ex

lochiorum obſtructione, inflammatione uteri, vel ex inflammatione et ſuppuratione omenti, vel ex inteſtinorum et peritonaei inflammatione, ex lactis tranſlatione, vel ex abdominis pure, ex contagione, et aeris ſtatu morbis epidemicis favente, vel denique ex calamitate et anxietate mentis.

Veriſimile non eſt febrem hanc vel ex lochiorum obſtructione vel ex evacuatione diminuta oriri, ſanguis enim purus cernitur, qualis per corpus circumfertur, adeo ut nullum acrimoniae ſigum ſubſit; et quamvis hinc oriri exiſtimanda ſit, vix tamen putem tam cito exinde mortalem fore. Lochia ſaepe obſtruuntur et minuuntur, quum nec inde ſuboritur febris; immo et interdum per totum morbum manent lochia.

Ab inflammatione uteri oriri dicitur, quoniam circa uteri regionem dolor ſemper urget: ſi hoc ita eſſet, nonne venae ſectio et fomenta utilia forent, quae quamvis hyſteritim curent, hic nihil valeant? Et poſt mortem, quare uteri gangraena nunquam fere conſpicitur, quae procul

dubio obtinuiſſet, ſi ex inflammatione uteri oriunda haec febris? Et ubi gangraenam locum habuiſſe dicitur quidni a morte proveniſſe cenſendum? †

† "An accurate knowledge of the appearances in animal "bodies that die of a violent death, that is, in perfect health, "or in a ſound ſtate, ought to be conſidered as a neceſſary "foundation for judging of the ſtate of the body in thoſe "that are diſeaſed.

"But as an animal body undergoes changes after death, "or when dead, it has never been ſufficiently conſidered "what thoſe changes are; and till this be done, it is impoſ-"ſible we ſhould judge accurately of the appearances in "dead bodies. The diſeaſes which the living body under-"goes (mortification excepted) are always connected with "the living principle, and are not in the leaſt ſimilar to "what may be called diſeaſes or changes in the dead body: "without this knowledge, our judgment of the appearances "in dead bodies muſt often be very imperfect, or very erro-"neous; we may ſee appearances which are natural, and "may ſuppoſe them to have ariſen from diſeaſe; we may "ſee diſeaſed parts, and ſuppoſe them in a natural ſtate; "and we may ſuppoſe a circumſtance to have exiſted be-"fore death, which was really a conſequence of it; or we "may imagine it to be a natural change after death, when "it was truly a diſeaſe of the living body. It is eaſy to ſee,

Doctissimus van Swieten febrem hanc lactis translationi attribuit; febris vero, quam lacteam appellant, die tertio aut quarto apparet; haec tamen, de qua verba facimus, puerperas die secundo aut quovis alio adusque duodecimum corripit. Febris si lactea fuisset, leviora forent omnia, adesset etiam plethora, quod mihi rarius visum; in hunc morbum incidere eis quibus plurimum lactis est, aliis vero, quibus lac deest, hoc morbo vacare contigit.

Ex intestinorum et omenti inflammatione febrem hanc nasci censent plures; qua de re inter viros doctissimos Hulme et Leake suborta est dissentio haud parva: haec tamen anno 1750 Pouteau, intestina etiam inflammata utroque prior anno 1746 descripsit Jeussieu. In intestinorum inflammatione, pulsus plerumque debilis, in fe-

" therefore, how a man in this state of ignorance must blun-
" der, when he comes to connect the appearances in a dead
" body with the symptoms that were observed in life; and
" indeed all the usefulness of opening dead bodies depends
" upon the judgment and sagacity with which this sort of
" comparison is made." Phil. Trans. vol. 62. p. 447.

bre autem puerperarum aliquando plenus. In inflammatione inteſtinorum venam ſecare bonum, quod tamen niſi in plethoricis hic nihil prodeſt.

Harum partium vaſa ſemper ſint plena poſt partum neceſſe eſt, ſublatâ enim gravidi uteri preſſurâ, in illa ſanguis irruit. Haec res vero paulo accuratius ſi conſiderata ſit, ab alia potius cauſa quam ex inflammatione oriri videbitur; alioquin plus doloris nauſeaque contingeret, inteſtinorum etiam gangraena fieret, quod vix obtinere puto.

Inflammatio haec, quae cauſa exiſtimatur, effectus potius eſſe videtur.

Omenti inflammatio et ſuppuratio a puris abſorptione, habetur cauſa; quod bilis acrimoniam adauget, febremque putridam infert; haec autem ſuppuratio comitari non ſemper ſolet, ſi vero adſit, omnia in pejus ruunt.

Ex contagione naſci dicitur; puerperas autem, illas etiam, quibus et curae ſint puerperae, et ſub eodem tecto, cum iis eſſe contigerit,

haud invadit; quod utique non eſſet, ſi contagione laederet hic morbus.

Febris haec quibuſdam certis temporibus potius quam aliis obtinere dicitur; unde et aëri, morbum epidemicum inferenti, attribui haud abſurdum videtur.

Inter pariendum et poſt partum frigori magis obnoxiae ſunt mulieres, animo etiam facile perturbantur, harum quoque nervi irritabiliores fiunt: abdominis viſcera admodum compreſſa ſunt quamdiu gravidae fuerunt, dolores partus adeo interdum violentes ſunt ut delirium inferrant, ex quibus ſpaſmus et convulſio; propter et ſanguinis effuſionem foetumque editum, facile abſorbentur in corpus particulae acres. Secretio bilis augetur ex ſanguine liberius jecur tranſeunte, unde veſica fellis plerumque turget, ex cujus copia forſan etiam acrimonia, nauſea, vomitiones biliofae, cardiagmi et tormina, inteſtinorum etiam inflammatio provenire exiſtimanda.

## SECTIO SECUNDA.

## DE RATIONE CURANDI.

DE ratione hanc febrem curandi inter auctores non convenit.

Qui ex inteſtinorum inflammatione oriri putant, ſanguinem copioſius mitti jubent, prout aegrae vires patiantur, ut circulatio liberior ſit ſanguinis biliſque ſecretio minuatur, Plethoraeque obſiſtatur; in iis maxime, quae infantibus ſuis lac non praebeant: ſic enim inflammationi et ſuppurationi potiſſimum reſiſti poſſe judicant.

A putredine vero qui originem trahere autumant, mittere ſanguinem periculoſum praedicant, quippe quod lochia diminuat putrefactionemque inducat.

Sunt, qui ad bilem evacuandam vomitiones laudant, nihil autem boni inde oriri unquam percepi; quin potius nimiam agitationem corpori nocere, debilitatemque et irritationem majorem inferre; vomitio, cum ingruat, quo ma-

gis provocetur, calidam liberius bibere utile, hauſtus dein ſalini effervefcentes cum columbo laudantur. *

Clyſteres, et quae medicamenta ad alvum ſolvendam, quae et ad capitis dolores minuendos et ad inflammationem a faecibus impedinendam conducant, Sal. Purg. Crem. Tart. Ol. Ricini, Tart. emet, &c. Saepius adminiſtrari debent, cavetur tamen interea ne debilitatem adaugeant, diarrhoeamque inducant.

Putrefactioni ut obſiſtatur omne putridum in corpore corrigendum, vaſorum tonus ſuſtinendus, aſſiduâ ventilatione purificandus aër, ſtragula linteaque ſaepius mutanda, et quae redduntur a cubiculo removenda.

Putredini optime occurritur ex liberiore uſu

* Salis abſinthii ſcrupulum cum ſucci limonum cochleari mixtus, remedium eſt praeſtantiſſimum, praeſertim in vomitu, qui febribus malignis ſolet contingere.—Riv. lib 9, cap 7.

If the nauſea and vomiting ſhould continue: the Columbo rootmay be given in the quantity of 20 or 30 grains three or four times a day.

Vide White *on the puerperal fever.*

diluentium, ut perſpiratio et urina promoveatur; uſu etiam acidorum, ſalium neutralium, amarorum et aëris fixi, et eorum omnium quae putredini obſtant.

Putrefactio ne augeſcat remediis tonicis, cortice peruviano, et columbo utendum.†

Adminiſtrare anodyna oportet, minuatur ut nervorum irritabilitas, concilietur ſomnus, et recuperetur perſpiratio.

Uſum tartari emetici pro diaphoretico laudo, et multum laudavere multi; camphora autem in noſtris temporibus feliciore eventu majoreque fructu adhibetur, * Camphora, cum videbitur,

† From the experiments of Dr. Percival, it appears that the Columbo root, though inferior to the peruvian bark, as an antiſeptic in preſerving animal fleſh, is ſuperior to it in preſerving bile from putrefaction, and in reſtoring it when putrefied. Hence the ſuperior utility of the Columbo root in diſeaſes of a putrid tendency, or in an impaired digeſtion from vitiated bile or corrupted ſaliva.

* Vide Pouteau in his melanges de chirurgie.

in parvis doſibus adminiſtrari debet in quodam vehiculo acido ut diaphoreſis inducatur. †

Veſicatoria in genere inutilia; periculum enim eſt ne ſtranguriam inferant, et propter partium conſortium uterus jam tener inflammatione affici poſſit. *

Cortex peruvianus clyſteribus adminiſtrari ſolet; et quamvis prae ſe ferre multum videtur, parum tamen prodeſſe experientia docuit.

Clyſteribus anodynis et diaphoreticis mitioribus, iis etiam quae alvum lenius conſtringant, diarrhoeae ſuccurrendum.

Ex ſuperioribus jam liquet, ſanguinis detractione, primo impetu morbi, ſanare eſſe nitendum juxta aegrotae vires, quas ratio

† Camphor in ſome conſtitutions when given in large doſes has been known ſometimes to produce ſtrangury it may not be improper to obſerve that it is beſt given in ſome acid vehicle, ſuch as lemon juice, or the julep. e camphor. of the College as recommended by Huxham and Mead, as a means of preventing it from producing ſuch an effect. Vide White.

* Si qui puerperio morbi ſupervenerint, in his omnibus adhibita veſicatoria inter tres primos dies periculum ſemper, ſaepe mortem afferunt. Manningham Aph. Med.

pulſus indicare poteſt; tardus, nimirum illaeſas vires, celer, diminutas eſſe arguit.

Liquet etiam vim et durationem paroxyſmatis eſſe minuendam, bilemque putridam evacuandam.

Circulationem in extremis promovendam; ad quam rem efficiendam lateres calidi et ſinapiſmi pedum plantis adhibiti optime conducant.

Clyſteres emollientes ex pullino jure ſaepius adminiſtrandum, quibus nempe abdominis viſcera propter caliditatem foveantur.

Clyſteribus anodynis utendum, doloribus ſi inteſtina afficiantur, ut minuatur irritabilitas et concilietur ſomnus.

Oryzae aut hordei decoctum cum gummi ad libitum bibendum, et nutrimenta, quae concoctionem molliantur, ſaepiſſime adhibenda.

Juſculum ex carne pro ſtomacho et inteſtinis merito laudatum.

Cum remiſerit morbus, ad vires aegrotae recuperandas cortice peruviano et acido elixir vi-

triolico cum aqua minerali Pyrmontana et Seltzerali utendum, reliquiae vero febris ſi remaneant, hac utpote calorem febrilem minus excitante potius qnam illa utendum. *

* White on the management of lying in women p. 208.

## SECTIO TERTIA.

## DE RATIONE PROPHYLACTICA.

Rationem prophylacticam, quam vocant, minime ſatis perpenderunt medici. Veriſimile admodum videtur compluribus morbis obſiſti, ſaltem eos minus periculoſos reddi poſſe, ſi quo potiſſimum modo praecavendum ſit a morbis diligentius perquiſiviſſent medici.

Mulieres ante partum interque pariendum admodum eſſe anxias, viciſſimque inter ſpem metumque multum agitari, nervoſque earum irritabiliores multo, quam alias, et vel minimis perturbari ſupra memoravimus. Hinc parturientium niſus ſaepius plurimis horis interrumpuntur. Ut bono ſint animo, magnopere hortandae, ut in ſpem tuti partus veniant, benignitate et miſericordiâ multâ tractandae, ut his liberentur curis, quibus perturbantur mentes, proclivi-

oreſque in febrem reddantur: ne parturientium niſus accelerentur, cavendum, quos cum acceleravere imperitae obſtetrices quaedam, corporis ſenſus acerrimos, puerperaſque contagioni obnoxiores reddidere.†

Hoc enim temporis accerrimi ſunt corporis ſenſus, magiſque ideo contagioni obnoxiae ſunt puerperae.

Medicamenta itaque illa, quae corpus corroborent, et ne magis intendantur ſenſus, faciant, recte adhibentur; qualia ſunt cortex peruvianus et opium; opii prudentior uſus ſaluberrimum. Difficilis cum partus ſit, opium prout ferat caſus, adminiſtrandum curavi ſemper. Si poſt partum irritabilitatem augeſcere videtur dolor, ut removeatur, totis viribus nitendum. Adſtricta plerumque eſt alvus, ſi vero dolor remaneat, leniter duci alvum oportet.

† The principal fever it muſt be acknowledged, may follow a labour under the beſt circumſtances, but attempts to dilate the *os internum*, and too haſty a ſeparation of the *placenta* will produce it. Denman. page 18.

In circuitu ſanguinis plurimum ex nervis pendet, et nervorum in arterias impulſus plurimum valet, vel ut inducantur, vel ut ſanentur morbi. Sanguinem in circuitu vel impellunt, vel retardant nervi, cor ratione impetus ei dati per proprios nervos contractionem patitur.

Cauſa praecipua corporis caloris ex nervis oriundus dolor eſt, maxime cum triſtitiâ, gaudio, metu aliiſque animi motibus affecta mens ſit, quicquid enim agant hi motus, hoc maxime, ut afficiantur nervi. Halleri experimenta ſatis probant in putredine fluidis inferenda irritationem nervorum plurimum poſſe: ex eo enim diſcimus quae in ſtomacho cuniculi continerentur fluida propter nervorum irritationem brevi putrida fieri. Hinc vomitiones illae violentes, bilioſae foetidaeque, quae in febri puerperarum ſemper obtinent, explicantur. Cum ex morbo aliquo dolet corpus, nervi primo affici videntur, aliae poſtea partes, cum vero in ſanitatem reddatur, primo iterum afficiuntur nervi, adeo ut grande quoddam medium videntur vel ſanitatis vel ae-

gritudinis ferendae. Recte igitur affirmare videmur ex nervorum affectionibus ſanguinis circuitum perturbari multum, augeri calorem animalem, multum mutari fluida, cauſamque vel praecipuam morborum hinc petendam.

Quoniam igitur conſtat nervorum affectiones et in morbis ferendis et ſanandis plurimum poſſe, ab nimia irritatione praecavere oportet.

I. Ad vim irritationemque nervorum nimiam minuendam, ſanguinis miſſio et purgatio optime conducunt.

II. Illa medicamenta quae cum ſtimulum ſibi proprium inferant, alium perdant, qualia cortex peruvianus et opium, adhibenda.

III. Quae corpus irritent, ſenſuſque nimium afficiant, vitanda; calor praecipue auctus, motuſque nimius, ſitis ſenſus, cruditates humoreſque in ſtomacho corrupti, faecis retentio praeternaturalis, fluidorumque acrimonia.

IV. Removendi ſpaſmi, diluentibus, diaphoreticis et ſedativis.

V. Debilitati obſtandum, actionem cordis ar-

teriarumque augendo, quod tonica, aër frigidus *, cortex peruvianus, aromatica optime praeſtant.

VI. Ut a putrefactione fluidorum praecaveatur; putridum omne fugiendum, aegra ab aëre corrupto amovenda, ſi vero amoveri non datur, aſſiduâ ventilatione corrigendus aër; ſtragula linteaque ſaepius mutanda: reclinare ita oportet aegram, ut lochiorum fluxui faveat ſitus. Quotidie ſurgere debet, et ſurrecta manere quamdiu poteſt, et longius die ſecundo quam primo et ſic deinceps citra tamen laſſitudinem. Puerperam multum juvat, ſitumque quam commodiſſimum reddit ſedile hunc in finem nuper excogitatum. Corpus faſciâ involvi negligentius debet, et ſecretio lactis, ſi nullus prohibeat morbus, ſemper promovenda.

Denique poſt partum cubile ſit frigidulum,

* The breathing of cool freſh air, ſeems above all other things a ſine qua non, directions therefore to ſupply the patient with it plentifully cannot be too much inculcated.
Dr. Alexander.

nec tumultui nec luci expoſitum, puerpera quieſcat oportet, et fugiendum omne quod anxiam reddere, poſſit.

F I N I S.